

coloris expers, & quoquo modo candidior. Hæ autem sæpè adiunctis quibuldam specie inter se differunt, teste Diosc. lib. 5. cap. 161.

Terræ Lē-
niæ depurā-
dæ via.

Abluuntur, atque macerantur larga aquæ affusione, ut omne illud, quod arenosum, ac lapidosum est, subsistat, & terra exactè supernatet. Tale quiddam & in Lemnia terra visitur, quam cognominant quidam Milton Lemnium, & alij Sigillum Lemnium; si quidem hanc terram Sacerdos cū quodam honore sumens in urbem comportat; quam deinde aqua maceratam, & in lutum redactam, ubi valenter conturbauit, paulatimq. inde quiescere sinit, aquam, quæ supernatet, primū aufert, & mox quod sub ea pingue terræ tollit: at reliquū dumtaxat, quod ad imum subsedit, lapidosum scilicet, & arenosum relinquit, ut inutile. Porro lutum illud pingue desiccatur, dum mollis ceræ consistentiam accipiat, & sacrum Dianæ signum imprimit, & postea in umbra siccandum reponit. Secundū hanc viā, ut paulò inferiūs legitur, omnis alia terra abluatur. Aqua autem, qua maceratur, nullam habeat medicamentose qualitatis suspicionem. Interdum aliqua prius aduritur, & deinde abluatur. Hæc omnia Gal. qui tantæ fuit cupiditatis adinuendi perfectam terram Lemniam, ut nauigauerit in Lemnum Insulam, non alia de causa, ut Dij norunt.

De his, quæ ab Animalibus, aut eorum partibus, aut superfluitatibus desumuntur. Cap. XVII.

DESERVIVNT cupidofanitatis introducendæ Medico non tantū Plantæ, Terra, omnia Metallica, Mare, & quæ in eius algofo sinu feruantur:

uantur: sed etiam omnia Animalia, quæ hunc mû-
 dum inferiorem exornant: quorum quædam in-
 terdum integra desumere iubet; & non rarò aliquã
 eorum partem; & quandoque eorum tegumenta,
 & inuolucra, sed quod est abominandum, & vitu-
 perandum, superfluitates in eorum corporibus ge-
 nitæ, & concretæ, necnon etiam varia eorum ex-
 crementa. Cognouit hæc omnia Galenus lib. 10.
 Simpl. Med. quæ ibi proponit, & dum de nonnul-
 lis nauseam in narrando mouentibus hæc: *Siqui-*
dem quædam detestanda sunt, & quædam legibus vetita,
de quibus haud scio quo pacto scribere licuit Xenocrati, homi-
ni non olim nato, sed proauorum nostrorum sæculo, cum Im-
perium Romanum hominibus vesci vetuisset. Atque ille
sanè tamquam ipsemet fuerit expertus, magna profectò fidu-
cia scribit, quosnam affectus curare valeat comesum cere-
brum, aut carnes, aut iecur humanum, quos autem capitis
ossa, suræ, & digitorum, partim vsta, partim vstionem non
experta, & quos sanguis. Sed hæc sanè tametsi contra leges;
non tamen sunt fæda, & abominanda, at potio sudoris, aut
urine, aut mensium mulieris, abominanda, & detestanda,
atque horum in primis sterminus, quod tamen scribit Xenocra-
tes in ventrem deuoueretur, qui seminis vsum, & genitu-
ræ probauit. Sed redeamus, vnde digressi sumus.

Animalia integra, quæ vsu veniunt apud Medi-
 cos, sunt Cantharides, Cancræ, Hirundines, Ver-
 mes, seu terre, vt aliqui dicunt, intestina, & alia mul-
 ta, quæ breuitatis causa omitto; non pauca, quo-
 rum ante eorum vsu aliquæ egent præparatione,
 veluti Cantharides, Cancræ, ac Hirundines.

F Can-

Cantharidū
præparatio.

Cantharides, narrante Dioscoride capite proprio, è frumentis congestæ ad recondendum idoneæ sunt, quæ fictili vase non picato conduntur, & raro linteo obligato ore, & deorsum conuerso suspenduntur super feruentis acetii acerrimi halitū, donec æstu exanimentur: postea lino transfixæ reponuntur. Potentissimæ, quæ variæ, luteis lineis, crassæ, & præpingues. Aliqui alis, & pedibus illas priuant, at Galenus capite proprio totas probat, ac integras.

Error aliorum.

Cancrorum
vstio.

Cancri ante eorum vsum aduruntur; scribit modum eos adurendi, & tempus Galenus, impulsore tamen eius cōciui, & Præceptore, cuius verba sunt: Patella eris rubri, in quam impositos canculos viuentes habetenus vstis, dum facile ad leniorem redigi possint, vrbat illos post ortum Canis, quando Sol in Leonem transisset, non nisi Luna decima octaua.

Hirundinū
combustio.

Hirundines comburendi rationem nobis reliquit scriptam Asclepiades, referente Galeno lib. 6. secundum locos sic: Pullos sale conspersos vnâ cum peninis in fictile conijcimus, obturatumq. prunis imponimus. Non ponit autem eorum recrementa, etsi alij vnâ cum illis hirundines comburant, & aliqui recrementa tantum.

Partes, quibus Medicus vtitur, sunt variæ, vt Pinguedo, Adeps, Medulla, Caro, Testes, Pulmo, Iecur, Intestina, Scincorum renes, Serum, Cranium, Ossa, Dentes, Ungues, Cornua; & inuolucra ab ipsis fabrefacta, vt Sericum, & quæ mare prolificum alit, & auget, veluti Ostrearum, Buccinorum, & Purpurarum testa, adhæc & Margaritæ, & Spongia, aliaq.

aliaq. multa, quæ silentio prætermittenda statui. Nonnulla circa quædam, quæ præparari solent, vraccommodata sint, narrare decreui, quorum aliqua propriè loquendo partes non existunt, interim tamen à vobis admittantur inter partes enumerari.

Sunt Pinguedines, Adeps, Medulla, est omne pingue corpus à membranulis, & à fibris hæc omnia intertextentibus mundanda; quæ leguntur lib. 3. secundum loc. cap. 2. sic, dum de adipe fuillo: *A fibris depuratum*. quod etiam præcipit Diosc. lib. 2. c. 86. Modum seruandi medullam, & adipem per aliquod tempus nos docuit Gal. lib. 11. Simpl. vbi de medulla ita: *Sed ea est mihi vtriusque cura, ne putrescat. Itaque in hieme capio medullas, veluti & adipem; deinde in ædibus siccis, atque editis, planè humoris expertibus cum folijs lauri siccis repono. At si quando ambiente calido, & austrino medullam, & adipem vobis reponere, paratum sit in hoc cubiculum, neque admodum calidum, qualia ferè sunt, quæ meridiem spectant; sed supernum, & excelsum, & ad Aquilonem obuersum, habens fenestras paruas apertas, & tam nocte, quàm die spirantes ventos accipiat.*

At Dioscor. rationem talia conseruandi per longum temporis tractum posteritati reliquit, dicens, dum agit de adipe anserino lib. 2. cap. 86. ad cuius exemplum ceteræ pinguedines à nobis seruandæ veniunt: *Recens exemptis membranis in ollam demittas, quæ altero tantoperè capacior sit, quantus sit modus adipis, quem curare institueris, obstricto diligenter vase, flagrantissimo Soli exponitur; eliquescent inde humor in fictile alterum excolatur, donec omnis adeps absumat; Mox loco vehemen*

Pinguedinis, & adipis conseruandi modus.

ter frigido reconditur, & ad vsum digeritur. Alij (memoria custodite Antiquorum diligentiam impatientes, & indociles Septasarij) fictile fulciunt super aquam calidam, aut tenuem, & elanguidam prunam, quæ Solis vicem penset. At vos ardentissimo igne, vase ferreo non raro crepitantes pinguedines ferè aduritis, & non liquatis. A nonnullis, ut ibi scribitur, teritur, in olla eliquatur, & colatur. Antequam liquecant, illo iubente varijs in locis, abluantur, & confricentur, ut peroptimè à sorde, & ab omni spurcitia defœcentur, qui decreuit aliquas vino, aut aqua coquendas esse. Aliquando diligentissimè diluuntur, de quibus cap. de Ablutione agemus.

Error Sepl.

Pulmo quò
Ieruadus &
Iecur, & In
testina, &
Cerebellū.

Pulmo, ut vulpis, equi lien, lupi iecur, & eius intestina, subdita ventriculo galli membrana, testes, & similia, sunt prius vino abluenda; deinde integra, aut in frusta dissecta in clibano non admodum æstuant exsiccanda; vel sic recentibus ablutis vtendum, ut passerum salacium cerebella.

Serum.

Seri dele-
ctus.

Non raro pro sanandis infirmis à Medicis Serum vsurpatur, quod inter animalis partes etiam à nonnullis enumeratur. probat Mes. cap. de Sero, quod est lactis caprarum, nimirum nigrarum, bonis pabulis nutritarum, recens fetarum: tale sit recens, iucundi odoris, & saporis, & sui non alieni, & non corruptum. At multi Septasarij, ut eorum est mos, neglectis omnibus Mes. mandatis, quodcumque lac caprillum sumunt: sed quid dico, immo quamcūque serosam substantiā, quæ à lacte ouillo, caprino, & bubulo, sæpè simul confusis elicitur; aut exprimitur à pastoribus, dū in

Multi Sepl.
errores.

varios

varios lobulos lac coagulatum effingitur ab ipsis. Quid inhumanius? Tantum enim abest, ut ab hoc infelices ægrotantes ardenti siti excruciatu refrigerentur, ut potius ab igneo coaguli calore, quo lac in vnum cogitur, adurantur. Naturam coaguli esse talem, reliquit scriptum Arist. lib. 3. de Hist. anim. c. 21. sic: *Est ergo coagulum lac ignem habens intra sese.* Quod quidem Serum omnino impurum, iniucundi ut plurimum saporis, & odoris, & non raro acidum, aut quoquo modo putredine contaminatum ab ipsis probatur, & non vili pecunia venditur, maximo cum detrimento ægrotantium. At si forte illud distribuendi occasio illis non occurrat, sic vitiosum destillatione parant, & servant. An non sunt hæc errata gravissima pena digna?

Cranium, Ossa varia, Dentes, & alia similia, lima subtilissimè comminuantur, aut cote oculari læuigantur; corpora enim dura, & terrestria, ut in altum corporis se extendant, diligentissima indigent læuigatione, ut 2. per genera c. 15. narratur.

Cornu autem Ceruinum aduritur, iubente Dioscor. lib. 2. cap. 63. hoc pacto: *Cerui cornu contusum crudo fictili luto circumlinito: & in furnum indito, tritur, donec albescat; deinde Cadmiæ modo eluitur, sic & Talus suillus, & Ebur.*

Testa Buccinorum, Purpurarum, & Ostreorum, quandoquidem durissima est, numquam absque ustione utor. Ceterum ad unguem ea læuigare, planèq. pollinis in modum necesse est, tundendo scilicet, & cribrando prius: quæ postea, si occasio postulabit, abluenda. hæc I. I. Simpl. Galen.

Cremantur

Cornu Cerui quomodo aduratur.

Buccina, purpure, & alia quomodo adurantur.

*Cremantur Purpurarum tomenta, Dioscor. imperante,
ut Cornu ceruinum.*

Margarita-
rum prepa-
ratio.

*Margaritæ terantur subtilissimè, & tenui cribrentur pan-
no, postea in cote liquore affuso leuigentur, ut Haly lib. 10.
cap. 22. & Auic. iubent.*

Excremēta
quo pacto
seruentur.

Excrementa nonnulla animalium apud Pharma-
copœos seruari debent, inter hæc quædam Fella, &
Coagula. Fel omne sic seruatur, ut Diosc. placet li-
bro 2. cap. 89. Recens præligato ore folliculi lino demissum
in feruentem aquam, spatio, quo quis stadia tria percurset;
mox exsiccatur umbræ loco asperginem non redolentem.
Sed quod ad oculorum medicamenta adijci solet, ligatum vi-
no in vas vitreum, quod mel habeat, immittitur, circum-
uoluto ad os vasis lini principio, & operto vase reconditur.

Fel confer-
uandi mo-
dus.

Coagula.

Coagula omnia à putredine vendicandi viam
Albuc. instituit his verbis: *Accipe coagula animalium,
dum sunt recenter mortua, postquam iugulaueris, & inuolue
ea sale, & suspende ad Solem, & serua.*

De Decoctione, et Ebullitione.

Cap. XVIII.

Decoctio,
& Attritus
omnia inal-
terat.



UAM ferè in limine libri proposuimus
ad Pharmaca componenda hæc duo
maximè esse necessaria, Decoctionem,
& Attritum; his enim aut simplicium
vires, aut eorum corpora, & facultates inter se ex-
actè, & ad minima confunduntur, ac permiscuntur,
quod cognouit Mes. in Canon. dicens: *Coctio facul-
tates medicamentorum diuersas omnium optimè permiscet,*

ut